

NICOLAI COPERNICI

dentem immobilem esse terram, & Mercurium in epicyclo suo magno moueri per eccentricum, cum animaduerneret quod unus ac simplex eccentricus hisce apparentijs satisfacere non posset, concessio etiam, quod eccentricus ipse in non suo, sed alieno cetro moueretur, coacti sunt insuper admittere eundem eccentricum in alio quodam paruo circulo moueri epicyclum deferentem, qualem circa Lunæ eccentricum admitterebant, adeoque tribus existentibus centris, nempe eccentrici deferentis epicyclum altero parui circuli, & tertio eius (quem recentiores appellant æquantem) circuli, duobus prioribus præteritis non nisi circa æquantis centrum æqualiter ferri epicyclum concesserunt, quod erat à uero centro & eius ratione, ac utriusque præexistentibus centris alienissimum. Neque uero alia ratione huius stellæ apparentia seruari posse rati sunt, ut diffusius in construct. Ptolemaica declaratur. Ut autem & hoc ultimū sidus à detrahentium iniuria & occasionibus uindicetur, pateatque non minus quàm aliorum præcedentium eius æqualitas sub mobilitate terræ, assignabimus etiam illi eccentrici eccentricum, pro eo quem opinabatur antiquitas epicyclum, Sed modo quodam diuerso, quàm in Venere, & nihilo minus epicyclum quoddam in ipso eccentro moueatur, in quo stella non secundum circumferentiam, sed diametrum eius sursum deorsumque feratur, quod fieri potest etiam ex æqualibus circularibus motibus, uti supra circa æquinoctiorum præcessionem est expositum. Nec mirum, quoniam & Proclus in expositione Elementorum Euclidis fatetur pluribus etiam motibus rectam lineam describi posse. Quibus omnibus eius apparentiæ demonstrabuntur, sed ut apertius hypothesis accipiatur, sit orbis terre magnus  $AB$ , centrum eius  $C$ , dimetiens  $ACB$ , in quo assumpto  $D$  centro, inter  $BC$  signa, Distantia autem tertiæ partis  $CD$  describatur paruus circulus  $EF$ , ut sit in  $F$  maxima distantia ab ipso  $C$ , & in  $E$  minima. Ac super  $F$  cetro explicetur orbis Mercurij, qui sit  $HI$ , deinde in  $I$  summa abside facto cetro, superaddat epicyclum quod planeta percurrat. Fiat  $HI$  orbis eccentrici eccentricus existens eccentricus epicyclus. Hoc modo exposita figura cadant hæc omnia ex ordine in lineam rectam  $AHCEDFKILB$ , interim uero planeta in  $K$ , hoc est in minima à centro distantia, quæ est  $KF$ , constitutatur.